DE
POLYBII DICENDI GENERE.

PARTICULA PRIOR.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

PHILOSOPHORUM ORDINE ERLANGENSI

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

JOANNES STICH.

ERLANGAE.

TYPIS JUNGII ET FILII.

MDCCCLXXX.

De Polybii dicendi genere.

Scripsit

Ioannes Stich.

> *Χρόνῳ δ' ὕστερον παντάπασιν ἠμελήθη (ἡ σύνθεσις), καὶ οὐδεὶς ᾤετο δεῖν ἀναγκαῖον αὐτὸ εἶναι οὐδὲ συμβάλλεσθαί τι τῷ κάλλει τῶν λόγων· τοιγάρτοι τοιαύτας συντάξεις κατέλιπον, οἵας οὐδεὶς ὑπομένει μέχρι κορωνίδος διελθεῖν, Φύλαρχον λέγω καὶ Δοῦριν καὶ Πολύβιον κτἑ.* Dion. Hal. de comp. verb. 4. p. 29.

Ad Polybium ut studia mea conferrem cum ipso ingenio scriptoris commovebar, ubi primum ad eius libros accessi in scholis privatis olim a Woelfflino magistro doctissimo habitis, tum ut eius orationem diligentius mihi proponerem investigandam adductus sum dissensionibus interpretum, quorum pars avulsam eam esse a patriis radicibus, alii modo non Atticorum regulis circumscribendam immo circumcidendam esse putant. Iam autem aggresso laborem aliquam sane dubitationem mihi attulerunt verba viri alicuius doctissimi, cum diceret non ita laudandos esse, qui unius scriptoris usum ac consuetudinem dicendi studerent illustrare, nisi ad rem criticam promovendam ei contulissent quaecunque invenissent. At praeterquam quod ad emendandos locos aliquantum valent eiusmodi quaestiones, nonnihil per se utiles esse mihi videntur, quoniam nisi uniuscuiusque scriptoris usus in verbis eligendis et componendis diligenter erit examinatus, fieri non potest, ut linguae per tot aetates totque genera hominum et progressus et depravationes cognoscamus. Atque si ita res se habet, Polybium inprimis eum esse, cuius elo-

cutio accuratius considerari debeat, nemo est quin concedat. Neque enim temporum solum ac locorum spatiis (Romae enim maximam vitae partem degisse eum constat) seiunctus hic est a choro classicorum, quos aiunt, scriptorum, sed etiam longe alia imbutus erat eruditione atque illi scriptores, qui quasi angustioribus circumscripti finibus vivebant sentiebant scribebant. Quodsi propter hoc ipsum assecuti illi sunt divinum quoddam flumen orationis, quod nos admiramur: Polybii nihil interfuit exemplaria Attica imitari. Qui remoto inani verborum strepitu ac fucato nitore id enixe studebat, ut res ipsas integre ac sincere traderet (cf. Pol. 12, 12 Sch. 7), optimeque de Polybio dici potest illud Plutarchi (Nic. 1) *ἐμοὶ δ' ὅλως μὲν ἡ περὶ λέξιν ἅμιλλα καὶ ζηλοτυπία πρὸς ἑτέρους μικροπρεπὲς φαίνεται καὶ σοφιστικόν· ἂν δὲ πρὸς τὰ ἀμίμητα γίγνηται, καὶ τελέως ἀναίσθητον.*

Polybii igitur ratio diversa tota est ab eis rerum scriptoribus, qui eius aetati paullum antecedebant. Illi enim pendent ab Isocrate oratore, qui res elegantius quam verius esse describendas illo Panathenaico docuit ipse. Quem secuti concinnam esse orationem volebant, rerum veritatem interdum neglegebant; immo ei, qui res ab Alexandro gestas tradiderunt, miraculorum plenos libros composuerunt. Neque tamen a prioribus magis differt Polybius quam a scriptoribus posterioris aetatis, qui veterum artem inepte imitando palmam ferre studebant. Contra princeps est Polybius eorum scriptorum, quos *κοινοὺς* vocant grammatici. Malo enim hoc nomine uti quam *κοινὴν διάλεκτον* appellare, quasi quinta ea fuerit linguae Graeca dialectus (cf. Bernhardy Grundriss der griech. Litteratur I ^{2} p. 421 sq. 429 sq.) neque Hultschium laudo, qui (quaest. Pol. pars I p. 1) ex Polybii libris ut ex purissimo et integerrimo fonte haurire iubet eum, qui „eius dialecti leges accuratius velit explorare“. Paullum infra idem: „si quis olim de grammatica communis dialecti ratione singularem librum scribere instituet, quo facto ego multorum exspectationem et desiderium expletum iri confido, ei primum, quo dicendi genere Polybius, deinde quo reliqui uti consueverint, videndum erit“. Sed quamvis sit optandum, ut ille liber mox in lucem prodeat, vereor tamen, ne qui certis legibus omnes illos *κοινοὺς* includere voluerit, oleum et operam perdat. Concedo equidem multa esse communia eorum tem-

porum scriptoribus, sed normam scribendi, quae conveniat omnibus, invenies nullam. Verissime igitur et optime de ea re Bernhardy dixit l. l. 1^2 p. 433 = I^4 517: Alles zusammengefasst, müssen wir vorzüglich in der Ungleichheit und Subjectivität einen wesentlichen Zug der *κοινή* erkennen. Wenn auch ihre Genossen in einer Familie zusammengehen, so bildet doch jeder ein besonderes Gebiet, welches grammatisch und rhetorisch erforscht sein will.

Quae vellem considerasset Dindorfius, qui haud scio an minus recte et in praef. ad Diodor. p. 7 dicit Diodorum usum esse sermone et dicendi genere quo omnes tum usi sint, et in praef. ad Pol. p. 44 dialectum qua usus sit Polybius eam ipsam fuisse qua omnes tum usi sint contendit. Dicit tamen in hac oratione quasdam sibi leges scriptorem scripsisse, ita ut etiam Dindorfius variam esse orationem singulorum tum scriptorum concedere videatur.

Verumenimvero, ut supra diximus tenui quodam genere dicendi Polybium uti ac detrectare lumina orationis a veteribus mutuata, ita in alterum errorem incideremus, si Polybium audientes audire nobis videremur omnium tum Graecorum sermonem. Quippe peregrinus erat vir, qui inter Romanos vixerit, erat homo militaris, denique natione Megalopolitanus. Quae cum ita sint, prima erit lex quaestionis nostrae, ut Polybium ex Polybio et intellegere et declarare studeamus.

Iam profeceram aliquid in studiis meis, cum in manus venit scriptiuncula, quam ante hos septendecim annos scripsit Luettge vir doctus de Polybii elocutione. Qua re minime factum est, ut deterrerer ab instituto, cum multis aliis de causis, tum maxime quod paucis lineis se Polybii elocutionem adumbrare velle ipse dicit (p. 7). Neque is vidit Dindorfii aut Hultschii editiones, quae post complures annos editae sunt quibusque Polybius multis partibus emendatus est et redactus ad genuinam formam.

Hoc loco enumerare placet eos libros, quos adiutores habui mei laboris additis notis compendiosis, quibus in libello meo utor. Primum omnium mihi appellandus

Hu. Fridericus Hultsch, Polybii historiarum editor (IV voll. Berol. 1867—1872), quem et in numerandis ca-

pitibus paragraphisque sequor et in libris mss. editoribus emendatoribus significandis. Praeter eum

Sch. Ioh. Schweighaeuser, earundem editor (Lips. 1789—1795).

Di. Ludovicus Dindorfius, qui Polybii opera in bibliotheca Teubneriana Lipsiae 1866—1868 edidit.

Inter grammaticos laudandi:

Kr. K. W. Krüger, griechische Sprachlehre für Schulen. (I. prima pars, edit. V Lips. 1875. II altera pars, edit. IV, Berol. 1862. Denique praeter Buttmanni, R. Kuehneri, Curtii, Kochii libros adhibiti sunt a me:

Wi. Winer, Grammatik des neutestamentlichen Sprachidioms, edit. VI. Leipzig 1855.

Mu. Mullach, Grammatik der griech. Vulgärsprache in historischer Entwickelung, Berlin 1856.

Aken, Grundzüge der Lehre vom Tempus und Modus im Griechischen. Rostock 1861.

H. D. Müller, Syntax der griech. Tempora GPr. Göttingen 1874.

L. = Luettge de Polybii elocutione. progr. gymn. Nordhausen 1863.

C. Iacoby. Ueber die Sprache des Dionysius von Halikarnass. Aarau 1874.

Hultschii quaestt. Polybianarum pars I 1859, pars II 1869; eiusdem dissertationes Philologo (de hiatu ap. Pol. etc.) aliisque annalibus insertae.

Eorum quoque, qui partim in universum de Polybii dicendi genere scripserunt (velut Bernhardy, Nicolai) partim eius artem in rebus gestis enarrandis accuratius indagarunt (Nitsch, La Roche, Markhauser, Luebbert), me libros lectitasse satis habeo his verbis commemorasse; ceterum cum horum librorum tum eorum, e quibus aliquid ad nostram quaestionem pertinere videtur, infra suo quemque loco appellabimus. Multum denique me debere scholis ab Iwano Muellero magistro carissimo olim de syntaxi linguae Graecae habitis animo pergrato confiteor.

Sed accedamus ad rem ipsam. Propositum est enim de temporum ac modorum usu apud Polybium accuratius disserere. Quod fieri non potest, nisi antea de Polybii dicendi genere in universum nonnulla exposuerimus.

Cap. I.

De Polybii dicendi genere universo.

Hac parte quasi summam Polybii elocutionis proponere instituí omissa quidem omni de singulis locis litigatione, ita tamen, ut, quae alii perperam intellexerunt, pro virili parte corrigere studeam. Erit autem hic ordo disputationis nostrae, ut primum de verborum copia exponamus, deinde pauca de formis verborum addamus, denique artem declaremus, qua Polybius usus sit in verbis et adhibendis et componendis. Quamquam omnia verba enumerare, quibus aut novis adscitis aut in novum sensum depravatis Polybius tam abhorrentem a nostris auribus reddidit orationem suam, longum est et a consilio meo alienum: ea tamen attingemus, quae ad naturam atque indolem huius dictionis perspiciendam aliquid afferunt.

Ac primum quidem vocabula e poetarum sermone deprompta non pauca invenimus, velut *ἀδήριτος* 1, 2, 3, *ἀτρεκής* 1, 4, 9, alia (neque tamen adverbia *ἀρχῆθεν πάμπαν λίαν* hic numerare debebat L. p. 4, 5). Quae non usurpavit, ut poetarum luminibus elocutionem suam adornaret, quod visum est Luettgeo p. 4 (nam alienae sunt a Polybio tales festivitates), sed proprium est posterioris aetatis scriptorum sermonem merum miscere verbis poeticis, quoniam deest diligentia et subtilitas in verbis eligendis neque repudiant longe petita, modo rem illa declarent.

Deinde verba militaria saepe occurrunt nimirum apud scriptorem paene militarem. Quorum magnam partem a Macedonica dialecto sumptam esse cum iam veteres grammatici docuerunt, tum re ipsa verisimile est. Pertinent ad hoc genus *παρεμβάλλειν* et *παρεμβολή*, quae saepissime leguntur apud Polybium. Quod autem L. p. 5 hic reponit *ἄγημα*, id apud Xenophontem quoque reperies duobus locis (de Lac. rep. 11, 9. 13, 6), ubi significat cohortem praetoriam.

E philosophorum sermone Polybium verba quaedam adoptasse, quippe qui tam schola [1]) quam vita esset

---

1) Hoc tenendum est contra La Roche p. 14 sqq., qui laudans Pol. 12, 26 vereor ne nimium tribuerit illi loco. Cf. Dind. praef. ad

educatus, qui est qui miretur? Vocabula *θεώρημα* 6, 26, 10, *χειρισμός* 6, 12, 3, *ζωηδόν* 6, 5, 9, neque minus composita, velut *σωματοποιεῖν, ὀχυροποιεῖσθαι* 1, 18, 4, *ζυγοστατεῖν, ἐθελοκακεῖν* 6, 15, 5, *κωλυσιεργεῖν* ibid., *ταχυναυτεῖν* 1, 25, 3 philosophorum, inprimis Peripateticorum aut Stoicorum linguam redolent.

Romanorum denique per tot[1]) annos consuetudinem agnoscere potes ex eis, quae de lingua Latina sive volens sive invitus convertit in usum suum. Multa enim verba Romanorum propria plane expressit Polybius Graecis litteris, quae res Luettgeo admodum nova atque inaudita videtur. Sed et Romanorum ipsorum, qui Graece historias composuerunt [2]), usus multum antecessit hac in re Polybium. Plurima exempla inveniuntur in libro sexto, velut *πραίτωρ* alia; verbo tamen attingamus 6, 24, 5 legi *κεντυρίων,* aliis locis *δεκουρίων* (dĕcŭrio, centŭrio); quae discrepantia, nisi tribuenda est scribae cuiusdam neglegentiae, fortasse condonanda est Graecorum enuntiationi paullum declinanti a Romanorum consuetudine. At praeter ea, quae Romanas scilicet res scribenti necessario recipienda erant, multa sive consilio ac ratione sive nescius ipse quo modo a Latina lingua transtulit ad Graecam. Sic *καταγραφή* 3, 40, 3 et *καταγράφειν,* veteres *καταλέγειν* de eadem re, tamen 2, 24, 10 *καταγραφαί* est *ἀπογραφαί,* album militare. *θρίαμβος* triumphus 1, 88, 6; *προκοιτίαι* = excubiae 2, 5, 6; *διαβούλιον* sive *διαβούλια* = consilium 1, 3, 9; *ἔργα* = opera 1, 38, 8; 1, 24, 12 (cf. Sch. ad hunc locum); *σημαία* = vexillum (manus) 6, 33, 9; *ὀρνιθεία* auspicium 6, 26, 4. *ἐκφέρειν,* quod Luettge e Latino sermone esse translatum opinatur (p. 6), legitur iam apud Homerum Il. 23, 675; *διακλείειν* = intercludere 1, 82, 13 *τινί τι,* 3, 10, 12 *τινά. ἐκλαμβάνειν* (*τοὺς ἐθισμοὺς καὶ νόμους*) putat dici (2, 59, 6) Luettge ad similitudinem verbi

---

Pol. p. 62 sqq., qui multos locos contulit, quibus Polybius una cum Panaetio appellatur Scipionis et comes et doctor.

1) Dind. l. c. p. 62—65.

2) Fabios Cincios dico, de quibus Polybius ipse dicit: cf. 1, 14, 1 (Teuffel Gesch. d. röm. Litt.[3] § 37 et 116 sq.), et eos, qui Carthaginiensibus faventes scripserunt de bellis Punicis, velut Philinum 1, 14, 1, Chaerean et Sosylum 3, 20, 5.

‚excipere'. At ubi invenit vir doctus „leges excipere" in Romanorum libris? Deinde *μεταπορεύεσθαι* de ulciscendo dictum minime ex verbo ‚persequi' ortum, cum Attici *μετιέναι*, *μετέρχεσθαι φόνον* dicere soleant. *κινεῖν* = movere (scil. castra) 2, 54, 2; *συντερμονεῖν* = conterminare (hoc enim apud Ammianum legimus)? *προσκόπτειν* = offendere 1, 31, 7. Ambigi deinde potest, num *συνδιώκειν* scriptum sit secundum illud ‚consequi' aut *συνάγεσθαι λιμῷ* secundum ‚cogi fame' (premi f.). Neque ex Romanorum consuetudine fluxerunt *ἐπὶ τέλος ἄγειν* 6, 15, 3 (ad finem perducere) et *πέρας ἐπιτιθέναι τινί* 1, 41, 2 (finem imponere), cum *τέλος ἐπιτιθέναι* inde ab Homero inveniatur, neque magis *καταλείπειν τόπον ἐλέους* 1, 88 (non 83), 2 = locum misericordiae (dativ. cas.) relinquere. Negandum denique est imitatum eum esse Romanorum consuetudinem dicendi in formula *κἄν τι συμβῇ περὶ ἡμᾶς ἀνθρώπινον.* Sic enim scripsit 3, 5, 8, non *ἀνθρωπίνου*, quod unde coniecerit L. p. 6 vix intellegi potest.

Deinde verba composita saepissime adhibet Polybius, ubi verba simplicia satis rem declarare nobis videntur. Quod neque huius scriptoris proprium (cf. Bernhardy l. l. I² p. 431) neque per se mirum est, si consideramus Latinos quoque posterioris aetatis scriptores vulgarem sermonem secutos innumera multitudine verborum compositorum orationem molestiorem reddidisse. Cf. Act. Erlang. vol. I. p. 381 sqq. Ac primum quidem verborum cum duabus vel tribus praepositionibus compositorum adnotanda multitudo est. Apud Homerum inveniuntur talia verba 62, apud Herodotum 116, apud Thucydidem 245, apud Polybium 341. Non igitur modum excedit Polybius, immo Thucydides pro magnitudine librorum tantum non exsuperat eum. Nec omnino multitudinem illorum decompositorum mirabitur quisquam, qui cogitavit unius praepositionis *σύν* cum aliis praepositionibus et verbo compositae inveniri in lexicis fere 880 exempla. Prona scilicet erat ad tales compositiones Graecorum lingua [1]). At est sane

---

1) Cf. etiam Rueder, über die mit mehr als einer Präposition zusammengesetzten Verba im griech. Text des neuen Testamentes. Gymn. Pr. Gumbinnen 1876, ubi invenis ex sacris libris collata decomposita magna cum diligentia atque explicata quam subtilissime.

discrimen aliquod inter Polybium et priores. Cum enim illi, inprimis Thucydides, hoc modo res planius declarent, hic onerat orationem tanta mole inutilium compositorum [1]). Amplificantur igitur verba potissimum praepositionibus *κατά, παρά*, *σύν*, quibus addere fortasse possis *διά*. Nec desunt exempla, ubi *ἐπί, ἀπό,* ceterae praepositiones insuper iunguntur cum verbis. Iam proferam exempla:

κατάρχειν, κατακολουθεῖν, κατονομάζειν, καθηγεμόνες, καταστρατοπεδεύειν, καταπιστεύειν, κατακρατεῖν, καταπειράζειν, καθήκειν (4, 7, 1), *κατατολμᾶν, κατάξιος, καταξιοῦν, καταμέλλειν, κατελπίζειν, κατεγγυᾶν, καταπυρπολεῖν, καταθαρρεῖν, καταπαύειν, κατάρχεσθαι, καταπεριεῖναι, κατολιγωρεῖν, καταμέμφεσθαι, κατατραυματίζειν, κατακτᾶσθαι, καταφέρεσθαι, κατεργάζεσθαι, καταπερονᾶν, κατάλληλος, κατισχύειν, κατασιωπᾶν, κατακληρουχεῖσθαι, καταφανής, καταπραΰνω, καταρράπτειν, καθυπάρχειν* (9, 15, 14), *κατελεεῖν, καταδιαιρεῖσθαι.*

συνθεωρεῖν, συνορᾶν, συνδιώκειν, συνεξακολουθεῖν, συναγκάζειν, συνεγγίζειν, συνεφιστάνειν, συναθροίζειν, συνεξομοιοῦσθαι, συνανασῴζειν, συμφεύγειν, συναγανακτεῖν, συνδιατρίβειν, συνυπακούειν, συμπαρεῖναι, συναισθάνεσθαι, συμμεταδιδόναι, συμπείθειν, συγχρῆσθαι, συνείκειν, συνυποκαίεσθαι, συσσῴζειν, *συμφανής*, *συναγελάζεσθαι, συνθεᾶσθαι, συνεθίζειν, συναυξάνειν, συνεπικυροῦν, συνοξύνειν, συναναγκάζειν, συνδιαφυλάττειν, συγκατανεύειν.*

παρασιωπᾶν, παραδεικνύναι, παραβοηθεῖν (etiam 1, 45, 7, ut videtur), *παρεφεδρεύειν, παρορμᾶν, παρεπιδημεῖν, παραφυλάττειν, παραιτεῖσθαι, παροξύνειν, παρεισάγειν* 4, 21, 1, *παρέπεσθαι, παρολιγωρεῖν, παραιρεῖσθαι, παρακατέχειν, παραίτιον, παρεισπίπτειν, παρεμβαλεῖν, παρατηρεῖν, παρεισιέναι, παρευτρεπίζεσθαι, παρόμοιος, παραποδί-*

· 1) Quod ut magis etiam perspiciatur, libro tertio *ἐξαποστέλλειν* triginta fere locis legi moneo, *ἐπαποστέλλειν* (*ἐξαποστ.*?) uno 94, 6, *ἀποστέλλειν* quattuor, *στέλλειν* ne uno quidem, nisi fallor (*στέλλεσθαι*, celare 85, 7). Similiter simplicia *πέμπειν, ἡγεῖσθαι, στρατοπεδεύειν, βοηθεῖν, ἀγορεύειν, ἀθροίζειν, ἐγγίζειν, ὁρᾶν* cedunt compositis *ἐκπέμπειν, καθηγεῖσθαι, καταστρατοπεδεύειν, παραβοηθεῖν, προσαγορεύειν, συναθροίζειν, συνεγγίζειν, συνορᾶν.* Cf. etiam *ὅτι διότι, ἄνω ἐπάνω, ἅπαξ καθάπαξ, αὐτίκα παραυτίκα, ἐγγὺς σύνεγγυς.*

ζειν, παρομολογεῖν, παράλληλος, παρακομίζειν, παραναγινώσκειν.

διαφιέναι, διοργίζεσθαι, διαπέμπεσθαι (5, 102, 4), διαπρεσβεύεσθαι, διαπιστεῖν, διαπρυτανεύειν, διακούειν, διασῴζειν, διαναπαύειν, διαναστῆναι, διασφάλλεσθαι, διαπιστεύειν, διαλανθάνειν, διαποστέλλειν, διαπεραιόω, διαναγινώσκω, διαπολεμεῖν, διαλυμαίνεσθαι, διαμαρτάνειν, διάδηλος, διωθεῖσθαι, διακατέχειν, διαγωνιάω, διεμπίπτειν.

ἐπάρχειν, ἐπελπίζειν, ἐπικρίνειν, ἐπαμύνειν, ἐπιμένειν, ἐπαναιρεῖν, ἐπιγινώσκειν, ἐπιπαριέναι, ἐπιδιώκειν, ἐπαπορεῖν, ἐπικοιμᾶσθαι, ἐποικοδομεῖν, ἐπέχειν (τόπον).

ἀποχρήσασθαι, ἀπαναγκάζειν, ἀποτολμᾶν, ἀφησυχάζειν.

προσπολεμεῖν, προσβοηθεῖν, προσεπικοσμεῖν, προσαναμιμνήσκεσθαι (an προαναμιμνήσκεσθαι?), προσονομάζειν.

Iam si rationem inquirimus, verbi vim auget κατά, σύν autem partim vim societatis habet, velut in συνδιώκειν consequi, partim diligentius aliquid fieri significat, velut in συνθεωρεῖν considerare; deinde παρά pro natura et origine sua primum iuxta esse sive fieri quod indicatur verbo significat, inde efficitur ea vis, qua insciis ceteris id fieri possit declarare; cf. παρεισάγειν 1, 18, 3. Saepenumero tamen ille sensus evanescit; cf. 1, 19, 15, ubi idem παρεισάγειν vim clandestini non habet. Ne hoc quidem abhorret a natura illius praepositionis, quod tum auget vim eorum verborum, quibus indicatur par vel simile aliquid esse, velut πάρισος 1, 28, 4, παρόμοιος 6, 3, 11, tum eorum, quae omittendi tacendive vim habent, velut παρολιγωρεῖν 4, 46, 5, παρασιωπᾶν 3, 15, 11. Denique et ἐπί et διά intendunt verbi vim; cf. ἐπαναγκάζειν 1, 11, 12; διοργίζεσθαι 2, 8, 13. Non multum diversa ab his significatio particularum ἀπό et πρό; cf. ἀποτολμᾶν 2, 45, 2, προφαίνεσθαι 2, 42, 2.

Hoc autem saepissime apparet, ea causa commotum praeferre scriptorem verbum compositum, quo facilius evitaret hiatum; cf. 12, 26, 1 τοὺς κοιμωμένους ἐν τῷ πολέμῳ διεγείρουσιν αἱ σάλπιγγες.

Nunc de formis et de syntaxi exceptis temporibus et modis exponemus quam brevissime, quamquam facilius hac in re esse longum, difficilius brevem. Sunt enim multa in promptu, sed alio loco depromere instituimus, ne modum excedamus huius tanquam prooemii nostri.

De formis verborum eadem fere dici possunt, quae de librorum sacrorum formis; tenendum tamen est omnia, quae illic pervulgata sunt atque tanquam uno tenore leguntur, apud nostrum velut raras maculas adspersa esse orationi in universum sincerae.

οὐθεὶς 1, 37, 5; *μηθεὶς* 1, 47, 4, aliis locis rursum *οὐδείς*, quamobrem Di. ubique detrectavit *θ*. Ceterum nota res ex Aristotelis usu est et in inscriptionibus inveniri inde a tertio saeculo ante Christum illam formam auctor est Bursianus harum rerum intellegens. Contra *αὖτις* saepius pro *αὖθις*. Sed haec leviora, velut *πρῶρρα*, quod cod A 1, 22 et cet. praebet (Hu. tenet, Be. Di. ubique *πρῷρα* correxerunt), *σαλπιστής* 1, 45, 13, quod retinet Hu., Di. cum deterioribus codd. *σαλπικτής*, denique *γίνεσθαι*, pro quo Di. et Sch. ubique *γίγνεσθαι* (cf. Sch. s. v. *γίγν.*). Augmentum deest interdum; cf. *πεποίηντο* 9, 41, 9 (Di. *ἐπεπ.*); ibid. 4 legitur *ἐξωθεῖτο* (Di. *ἐξεωθεῖτο*); cf. 1, 48, 8 *προωθεῖτο* (Di. idem *προεωθεῖτο* vult). Aoristi formae plerumque in *α* flectuntur contra priorum usum: *προείλαντο* 2, 61, 10, *ἀπελίπαμεν* 4, 57, 1, saepissime *εἶπα* (3, 33, 1; 6, 9, 13 etc.).

Quodsi L. dicit (p. 12) optativi formas in *αιμι* et *αι* desinentes ubique Polybium praeferre, non tam accipiendum hoc est quam corrigendum. Pro *αιμι* enim quid aliud scribere potuit Polybius? An L. *αιεν* pro *ειαν* praeferre eum dicere voluit? Quod autem plerumque (minime ubique; cf. 6, 14, 1 *ἐπιζητήσειε*; sic saepissime et propter hiatum et alias ob causas) formas velut *ἀπορήσαι* habet pro *ἀπορήσειε*, non abhorret a ceterorum usu; cf. Kr. 30, 9, 1.

Aoristi passivi cum *θε* compositi formae in Polybii sermonem irrepere coeperunt, saepe *παρεγενήθην*, *ἀπεκρίθην* (non alienum prorsus a veteribus; cf. (Plat.) Alc. II 149), *ἐπειράθην* (apud Thucydidem hoc est molitus sum, *ἐπειρασάμην* conatus sum), pro *συγχρησθῆναι* denique 2, 32, 7, quod praebet Sch., ex codice Regio A scribendum *συγχρῆσθαι*; cf. Hu. et Di. ad l. l.; *ἀπηντήθη* 2, 7, 4 pro *συνέβη* (*ἀπήντησε* D. H. Plut. eodem sensu) aliaque.

παρῆκαν 1, 17, 8, *ἔθηκαν*, *ἐνέδωκαν* etc. inveniuntur interdum apud veteres quoque, inprimis Euripidem, Demosthenem. Formas in *ύειν* pro *ύναι* saepius habet (cf. 6, 21, 3 etc.), formam *ἐνδιδέντες* 6, 23, 11 pro *ἐνδιδόντες* coniecit

Hu. collat. Xen. anab. 5, 8, 24 *διδέασι* a *δίδημι* = *δέω* (cf. Veitch Greek Verbs. Oxon. 1871, p. 164); huc referendum *ἀποκτεινύναι* 2, 56, 5, Sch. *ἀποκτιννύναι* [1]).

Numerale *δύο* flectitur *δυεῖν* gen. et dat. cass., unde corrigendum esse apparet, quod Kr. dicit 24, 2, 3 ‚das seltene *δυεῖν* angeblich nur für den Gen.'; cf. 3, 51, 12; 6, 27, 4; praeterea *δυσί* dat. casus 3, 42, 3. *δεκαδύο* 1, 42, 6 denique vix tenendum cum Hu., immo comprobanda Dindorfii emendatio *δώδεκα* (vel *δυοκαίδεκα*).

Pluralis numerus nominum abstractorum adeo frequenter adhibitus est a Polybio, ut Atticorum usum ac modicos fines longe excederet [2]). Omitto *θυμοί, βίοι, ἔννοιαι, διαλήψεις*; *ὠφέλειαι* (cf. Dem. 5, 8 *τὰς εὐπορίας*), *ἐμπορίαι, ὕπνοι,* (*οἶνοι*), alia eiusmodi, quae passim inveniuntur etiam apud alios scriptores, maxime philosophos. At primus scripsit noster *ὄχλοι* (velut 3, 44, 10) = plebs (Xenophonti *ὄχλοι* sunt milites gregarii) vel *πλήθη*; *πολλοὺς χρόνους* = diu 1, 24, 11; *χρόνοις οὐ πολλοῖς* (*ὕστερον*) *κατόπιν* ibid. § 6 *ταῖς ἀληθείαις* 10, 40, 5 et *τοῖς πράγμασιν* re vera 5, 42, 8, sine dubio propter hiatum utrumque [3]).

Adnotandi deinceps loci, quibus singularem modum praetulit Polybius. Saepissime enim hoc usu venit in participiis, velut *πᾶν τὸ λεγόμενον* (Kr. 50, 1, 1) 3, 9, 1; *πᾶν τὸ παραπῖπτον* 3, 12, 6; *πᾶν τὸ ὑποδεινύμενον* 3, 12, 2; *τὸ λεγόμενον* 8, 21, 9; *τὰ λεγόμενα, τὸ ῥηθὲν* etc. promiscue ponuntur, ita tamen, ut multo pluribus locis legatur singularis modus talium participiorum.

De casibus. Casum accusativum apud Polybium absolute poni notatu esse dignum videbatur Luettgeo (p. 12), qui tamen ut hunc usum probaret exempla afferens tria in-

---

1) Verborum formis *καθιστάνω* 3, 113, 3, *ἀποκαθιστάνω* 3, 98, 9, *παριστάνω* 3, 96, 3 quando uti coeperint scriptores, exposuit Curtius in libro inscr. ‚Das griechische Verbum'. I², 257.

2) Cf. Kr. 44 3, 1 sqq.; omnium maxime unus Isocrates amat illud genus dicendi; cf. Bremi ad Isocr. orr. Excurs. VII; Rehd. ad Dem. ind. s. v. plural.

3) (*κατ' ἀρχάς* 3, 67, 6) *πρὸς τὰς ἄρκτους* 3, 114, 8 et alibi; *δυνάμεις* (copiae?), *καιροί*; *ἀπὸ τῶν εὐωνύμων* 3, 115, 2; 10, 116, 3; *καθοπλισμοῖς* 3, 113, 7; 3, 118, 8 = *καθοπλισμῷ* (abstr.) aut *ὅπλοις* (concr.) etc.

felix operam perdidit. Nam 5, 93, 9, quod incredibile est, neglexit *τὴν ἐνδεχομένην ἐπιστροφὴν* pendere a participio *ποιησάμενος;* deinde *τὰς ἀρχὰς* sive *τὴν ἀρχὴν* apud plurimos veterum dicitur, est autem accusativus, quem rectius dixeris temporalem (cf. Kr. 46, 3, 2); tertius denique locus 5, 31, 3, ubi infinitivus absolute positus est, tam varias virorum doctorum dubitationes movit, ut non tam exempli loco esse possit quam ipse exemplis probari debeat [1]).

Casu accusativo Polybius in temporibus declarandis non solum totum peractum tempus significat, per quod factum aliquid est (Kr. 46, 3), sed etiam temporis punctum, quo factum est aliquid, sicut 4, 68, 8 *τὴν ἑωθινὴν προῆγε* mane processit; 4, 3, 10 *ἀνυπονοήτως τὰς νύκτας ἐπιφαινόμενοι,* quod idem habet Diph. apud Athen. 226 A.

De *πλεῖν θάλατταν* 3, 40, 10; 4, 40, 8 cf. Kr. 46, 6, 3, cui ortum hoc videtur ex *πλεῖν πλοῦν.* Huc referendus accusativus, quem regit verbum cum *διά* et *ἐπί* compositum, velut *διανύειν τὴν χώραν* 2, 86, 9; *ἐπιπορεύεσθαι τὰς πόλεις* 5, 77, 3. Optime autem defenditur Hultschii coniectura 9, 43, 3: *αὔξεται τὸ ῥεῦμα, καθὼς ἂν πλείους διαφέρωνται τόπους* pro *καθ᾽ οὓς,* quam ipse (quaest. II, 11) simili *διαρρεῖν* probare studet, alio loco 4, 70, 7; denique *ἐκμηρύεσθαι τὰς δυσχωρίας* 3, 51, 2; *προσέχειν τὸν λιμένα* 2, 9, 2, ubi Be. coniecit *πρὸς τὸν λιμένα* (cf. Soph. Phil. 244).

Notum ex veteribus illud *καλὸς τὸ σῶμα.* Polybius autem saepissime dativum sic adhibet, velut *βαθεῖς ταῖς ψυχαῖς* 6, 24, 9; cf. 4, 8, 11; 4, 20, 7; 5, 74, 3; 6, 22, 4, vel praepositionibus utitur, inprimis *κατὰ* cum accus.; cf. 7, 10, 3.

Multa verba Polybius primus ad sensum transitivum traduxit, velut *στρατηγεῖν τινα* 9, 26, 6, de hominibus scilicet dictum; *παρασπονδεῖν* 1, 7, 8; 4, 3, 5; *πράττειν πόλιν* 4, 16, 11 *σιτομετρεῖν τὴν δύναμιν* 5, 80, 2; *χορηγεῖν* 3, 49, 11, alia multa. Illis autem adnumerandum est *πολεμεῖν τινα* 1, 15, 10 (3, 4, 10), quod negant dixisse Polybium alii (etiam Di. et Hu.), concedunt alii (Sch.). Quae res diiudicari non

---

1) *Τὸ δ᾽ εὐπαρακολούθητον καὶ σαφῆ γίνεσθαι* (L. perperam *γενέσθαι*) *τὴν διήγησιν οὐδὲν ἀναγκαιότερον ἡγούμεθα εἶναι κτλ.* Re (cf. Hu. praef. X) *τῷ δὲ* Ca *πρὸς δὲ τὸ.* Ceterum recte recentiores editiones servare codicum lectionem iudico (cf. Kr. 55, 1, 6).

potest tribus verbis; hoc saltem admonere satis habeo, illis locis, quibus *πολεμεῖν* cum accusativo invenitur apud posteriores, si credendum est Stephano, ad urbem pertinere, ut idem sit ac *πολιορκεῖν* oppugnare. Denique Polybius *καταλαλεῖν τινα* dicit 3, 90, 6, quod multum abhorret a veterum dictione.

Ea verba, quibus animi affectus significatur, accusativum regunt (Kr. 46, 10), velut *ἀναδύεσθαί τι* 4, 7, 6 similia; cf. 3, 53, 8; 5, 42, 2; 5, 87, 1; etiam 3, 82, 4 *φυλάττεσθαι καὶ προσέχειν τὸ πλῆθος τῶν ἱππέων* sic explicandum; verbis *ἀπελπίζειν* et *ἀπογινώσκειν* et accusativus et genetivus concedendus est (contra Di. praef. p. 52); cf. 4, 96, 6; 1, 29, 5; 1, 48, 1. Adiectiva autem sequuntur analogiam verborum, ut *κατάφοβος, καταπλαγής τι* 1, 39, 12; 3, 40, 1; 3, 107, 15.

Pro genetivo saepe praepositiones, potissimum *κατά* c. accus. adhibet Polybius; cf. 3, 113, 1; 3, 114, 8 *ἡ κατὰ τὸν ἥλιον ἀνατολή*; 11, 26, 4 *τῆς κατὰ ἥλιον ἀνατολῆς*; 1, 7, 12 *διὰ τῆς εἰς ἐκείνους τιμωρίας*; 1, 16, 1 *τῶν περὶ Ἄππιον προτερημάτων*. Sic explanandum et vero defendendum 10, 37, 2, cf. 10, 47, 7. Eodem modo *παρά* praepositio insuper additur genetivo, velut 3, 116, 3 *παρώξυνε τοὺς παρ' αὐτοῦ στρατιώτας*; 3, 70, 4; 3, 75, 3; 3, 78, 5; non multum differt 3, 115, 4; cf. Dem. 12, 5 et. Rehd. ad Dem. s. v. *παρά*; etiam 3, 7, 2 defendi potest. Creberrimus est autem hic usus antecedente articulo *τό* sive *τά*; cf. 1, 56, 1 *τὰ κατὰ τὸν στόλον*; 9, 35, 3 *τὰ κατὰ τοὺς Ἕλληνας*, quibus ambagibus non solum id agebat, ut evitaret plurium genetivorum concursum, quod opinatur Sch. s. v. *κατά*, sed etiam hiatum effugere studebat.

De genetivo temporali *πολλῶν χρόνων* 3, 85, 9; 3, 90, 7 cf. Kr. 47, 2, 3, de genetivo obiectivo *ἡ τῆς χώρας βοήθεια* eundem 47, 7, 5. Multus autem est Polybius in usurpando genetivo partitivo 4, 70, 1 *τῇ τρίτῃ τῶν ἡμερῶν*, ut hiatum evitaret, *τοὺς εὐπετεῖς τῶν σάγων* 2, 28, 7; 4, 21, 7; 6, 48, 3; 7, 11, 3 (Kr. 47, 28, 1 et 2). Hoc deinde notum ex veteribus, Thucydide potissimum, quod a neutro adiectivi vel participii pendet genetivus; cf. 1, 1, 4 *τὸ παράδοξον τῶν πράξεων*, 1, 4, 1 (Kr. 43, 4, 27 sq.).

Ab adverbiis quoque pendet eiusmodi genetivus; cf. 5, 75, 8 *κατὰ βραχὺ συνηθροικὼς τῶν σρατιωτῶν*; 6, 58, 1 (Kr.

61, 8, 3). Neglegentiorem autem esse Polybium in collocatione genetivi partitivi agnosces ex 2, 20, 4 *τοὺς ἄρτι τῶν νέων ἡβῶντας*; 3, 67, 2; 7, 12, 2; 8, 37, 7; Kr. 47, 9, 11; Thuc. 6, 102. Multa deinceps verba Polybius primus cum genetivo coniunxit similitudinem veterum secutus neque abhorrens a ratione linguae, sicut *σπεύδειν τινός* 2, 34, 1 (secundum *ἐπιθυμεῖν, στοχάζεσθαί τινος*); *καθικνεῖσθαι* 4, 50, 10; *διατρέπειν* 5, 4, 10; *διακλείειν* 5, 51, 10; *χωρίζεσθαι* 5, 111, 2; *ἀπολογεῖσθαί τινος* dubium 7, 13, 4, et 9, 32, 12 *τούτων τὴν ἡσυχίαν ἔχειν* excidisse post *τούτων ἀφεμένους* vel aliud eiusmodi participium puto, cf. 9, 31, 6; 9, 39, 7. Deinde *κατεπείγεσθαί τινος* 5, 37, 10 (secundum *δεῖσθαι*); *εὐπορεῖσθαι* et cum genetivo et cum dativo coniungitur; cf. 1, 17, 2; 1, 66, 5; 1, 72, 6; 5, 43, 8; *πιστεύεσθαί τινος* 6, 65, 13; 28, 55, 6 (secundum *ἀξιοῦν τινά τινος* s. *τιμᾶν*); *ἐσχατεύειν τινός* 4, 77, 8; denique *ἐγγίζειν* 4, 62, 5 (etiam 6, 41, 1 sanum) cum genetivo coniungitur, cuius analogiam defendit *συνάπτειν τῶν πολεμίων* 3, 83, 6. In adiectivis quoque et participiis construendis aliquantum profecit Polybius. Sicut enim *ἁρμόζων* coniungit cum genetivo, velut *τοῖς ἁρμόζουσι λόγοις τῆς πράξεως* 1, 44, 1; 3, 18, 1 (cf. Hu. quaest. I p. 19), eodem modo *παραπλήσιός τινος* invenitur 2, 65, 11 (Be. prave immutavit tradita verba) et 1, 23, 6 *οἰκεῖός τινος* (2, 61, 3); cf. Kr. 48, 13, 10.

D a t i v o locali liberius utitur Polybius; cf. 4, 14, 6 *ταῖς παρωρείαις ποιήσασθαι τὸν κίνδυνον*, insolitum apud veteres aut poetarum proprium (Hu. quaest. I p. 19; Kr. 48, 1, 2). Ceterum minus offendis in dativis pendentibus a verbis cum *ἐν* s. *ἐπί* praepositionibus compositis, velut *ἐπιφαίνεσθαι τόποις* 1, 59, 9; similia invenis 3, 88, 1; 3, 92, 6; 4, 72, 1. Eodem modo dativo non addita praepositione *ἐν* utitur ad spatium temporis, intra quod aliquid accidit, significandum, sicut 4, 32, 8 *ὅπερ ἤδη πλεονάκις αὐτοῖς συνέβη παθεῖν οὐ πάνυ πολλοῖς χρόνοις*, cf. 5, 90, 3, quibus locis inserendum esse *ἐν* putat Hertlinus, qui vir doctus nuper magnam copiam coniecturarum utilium et inutilium, quales plures esse videntur, effudit per Polybii libros (cf. N. Jahrb. f. Phil. u. Päd. 1877, 115, 1 p. 33 sq.). Inseruit idem 1, 1, 5 Hu. invitis libris optimis, ut aequaret orationem cum loco simillimo 6, 1, 3. Sed quamquam fere eisdem verbis utititur de eadem

re Polybius, tamen variat paullum; cf. 8, 4, 4. Etiam in verborum structura multa novavit Polybius. De verbo *ἐλλείπειν* recte exposuit Sch. in lexico. *κωλύειν τινί τι* legis 2, 8, 8; *παραιρεῖσθαί τινί τι* 1, 18, 9 (*τί* Dem. 6, 22). Frequens dativus post ea verba, quibus vis comprobandi aut contrarii communis est (Kr. 48, 15, 8): *ἀσμενίζειν τινί* 3, 97, 5; *εὐδοκεῖν* 4, 22, 7 (aliter 20, 5, 10; cf. Rehd. ad Dem. 12, 3); vid. etiam 1, 8, 4; *φιλοχωρεῖν τοῖς τόποις* 4, 46, 1; *δυσαρεστεῖν* s. *δυσαρεστεῖσθαι* 3, 112, 2; 4, 22, 9; 7, 5, 6; *προσκόπτειν* 5, 49, 5; 5, 7, 5; etiam *τίθεσθαι τοῖς παραγγελλομένοις* 4, 9, 8, ubi non opus est coniectura *πείθεσθαι*, huc referendum est.

Multa verba cum *σύν* praepositione composita novam induerunt vim dativum regentes, velut *συνεφιστάνειν* 7, 13, 2 animadvertere s. legere; *συμπεριφέρεσθαι* 2, 10, 2 intellegere aliaque. Sed 6, 49, 7 *συνεξεποιοῦντο ταῖς ἐκ τῆς Λακωνικῆς αὐτῆς ἐπαρκείαις καὶ χορηγίαις* vix teneri posse putaverim (idem esse dicunt atque *ἀρκεῖσθαι*, quod non satis confirmatur illo *ἐκποιεῖ* licet 2, 24, 17). Fortasse scribendum est *συνεξεπληροῦντο*; cf. 3, 78, 5; 14, 4, 3; 16, 28, 2; 32, 9, 1, quibus tamen omnibus locis activum legi concedo.

Liberius autem usurpatur dativus eius rei, ad quam pertinet verbum, velut *κινδυνεύειν τινί*, 5, 61, 4 *τῷ βίῳ*; 5, 76, 11 *τῇ πατρίδι* (Hdt. *τῇ ψυχῇ*); 3, 85, 8 *λείπεσθαι μάχῃ*; 9, 40, 4 *ἀπαλγεῖν ταῖς ἐλπίσι*, ad quod conferendum illud epistolographi sacri *ἀποθανεῖν τῇ ἁμαρτίᾳ* ad Roman. 6, 2, alia eiusmodi, quae contulit Wi. p. 188.

Deinde ad significandam causam non raro adhibetur dativus, velut *ὀργῇ* 6, 4, 9; cf. 5, 10, 3; 6, 31, 2; 4, 44, 4: *τῇ Ἀλκιβιάδου γνώμῃ*, satis insolitum. Verbo attingamus hic usum celeberrimum infinitivi cum *τῷ*, velut 4, 71, 5 *τῷ πεπεῖσθαι* quia credebant; 2, 39, 13; 4, 84, 1. Ceterum multus est in hac re Demosthenes; cf. 3, 3 *πέπεισμαι — τὰ πλείω τῶν πραγμάτων ἡμᾶς ἐκπεφευγέναι τῷ μὴ βούλεσθαι τὰ δέοντα ποιεῖν*; 5, 1 et saepissime. Nihil denique novi inest in dativo pro *ὑπό* cum genetivo posito (Kr. 48, 15, 3; 52, 5). Sic 1, 1, 1; 5, 111, 1 *ἐπράχθη δέ τι κατὰ τούτους τοὺς χρόνους καὶ Προυσίᾳ μνήμης ἄξιον.* Ceterum animadvertere possis in hac re, quam non diligenter locos contulerit L., qui dicit (p. 13) dativum subiecti vice fungi, ubi coniunc-

tus sit perfectis secundis, ut *τῶν γεγραφότων αὐτῷ* (sic!) 2, 56, 1. Evolve librum, invenies *τῶν κατὰ τοὺς αὐτοὺς καιροὺς Ἀράτῳ γεγραφότων*.

De praepositionibus. Satis nota res est, quae omnium gentium linguis accidit, ut, cum primo nudi casus suppetivissent ad significandam verborum mutuam rationem, postea exculto hominum ingenio aliis voculis appositis declararentur subtiliora rerum discrimina. Quamquam autem Graecorum linguae contigit, ut omnes casus excepto dativo [1]) hodie quoque ipso verbo exprimere posset, quod Latinae dumtaxat linguae non contigit, tamen illi quoque paullatim adhibere praepositiones malebant. Cuius rei initia inveniri apud Polybium supra commemoravimus. Nunc quae de singulis praepositionibus dicenda sunt, deinceps perlustrare in animo est.

ἀπό saepe adhiberi in formula *οἱ ἀπό τινος* adnotat L. p. 14; cf. 1, 31, 3 *διὰ τὸν φόβον συμφευγόντων εἰς τὴν πόλιν τῶν ἀπὸ τῆς χώρας*; 3, 76, 9 et 10. At 2, 8, 1 *συνεχῶς ἠδίκουν τοὺς πλοϊζομένους ἀπ᾽ Ἰταλίας* L. [2], huc referre non debuit, quo loco vis primitiva praepositionis *ἀπό* apparet, quae quidem illis locis non deest; referendum est enim *ἀπό* ad verbum, ut 1, 31, 3 ad *συμφευγόντων*. Deinde in formula *στέφανος ἀπὸ χρυσῶν μυρίων* (32, 3, 2; 21, 34, 4), quae propria est posteriorum sermonis, *ἀπό* cum genetivo non genetivi pretii munus explet, quod opinatur L. p. 14, sed est praemium, quod efficitur decem millibus talentum; cf. 21, 36, 4, ubi pro *ἀπό* c. genetivo solus casus legitur.

ἀπό pro *ὑπό* Polybium scripsisse negant editores, qui corrigunt 1, 34, 8 *ἀπὸ τῶν θηρίων ἀπώλλυντο*. Sane plerumque *ὑπό* adhibetur de ea re a Polybio (cf. locum ipsum et 3, 74, 7), tamen tolerari potest illud *ἀπό*; cf. Kr. 52, 5, 1; Wi. § 51, qui aliorum sententias refert. Contra 3, 69, 3 recte Sca. *ὑπό* pro *ἀπό* scripsisse videtur.

ἔκ τινος γίνεσθαι pro *ὑπό* dictnm haud insolitum (Kr. 52, 5, 2) 4, 81, 4; 6, 44, 4. Similiter explicandi sunt loci 1, 83, 6; 3, 107, 8; 109, 1; 9, 29, 7. Ad 4, 71, 11 *οἱ ἐκ τῆς πόλεως τραπέντες ἔφευγον* conferendum est Dem. 1, 27 cum adnot. editorum. Sic saepissime legitur *οἱ ἐκ τῆς Μα-*

---

1) in vulgari sermone scil.; cf. Ausland. 1878. Mai. p. 387 sqq.

2) qui tamen verborum ordinem perperam tradit, ut Sch. ipse lex. p. 69.

κεδονίας (*βασιλεῖς* sive aliud), cf. 4, 1, 5, quoniam advenae semper videbantur Graeco scilicet scriptori, qui venerunt e Macedonia. In adverbii vim prorsus abierunt *ἐξ αὑτῶν, ἐξ ἑκόντων* similia 5, 66, 6; 10, 40, 6; Kr. 43, 4, 5.

ἕως non solum adverbii loco additur praepositionibus (cf. 1, 11, 4 *ἕως εἰς τὸν χάρακα*) sed etiam per se praepositionis munus explet 1, 18, 2 *ἕως ἀκροβολισμοῦ*; Kr. 68, 2, 2. *πρὸ τοῦ* Sch. (lex. 504) de loco putat dictum esse 3, 34, 5 *διαπεράσας τὰς πρὸ τοῦ δυσχωρίας*. At de tempore intellegi debet. Sunt enim *δυσχωρίαι*, quae antea superandae sunt. Altero loco 1, 47, 1 *διὰ τῶν προβραχέων* pro *δ. τ. πρὸ βραχέων* recte nunc scribunt editores.

εἰς in temporis notione quibusdam locis proxime accedit ad eandem vim, quam habet *ἐν*. Sic 4, 1, 4 *διὰ τὸ καὶ τοῦτο τὸ πολίτευμα πράδοξον ἐπίδοσιν λαβεῖν εἴς τε τοὺς πρὸ ἡμῶν καὶ καϑ' ἡμᾶς καιρούς* 3, 44, 13; 64, 1; 5, 13, 8. Similem neque tamen eundem inveneris apud Atticos usum Xen. an. 1, 7, 1 *ἐδόκει εἰς τὴν ἐπιοῦσαν ἕω ἥξειν βασιλέα*; Plat. Crit. 43 D; cf. Kuehn. Gr. gr. m. II² 407. Ex ipsa autem harum particularum natura id declarari potest, cum eadem sit ambarum radix, quod optime illustratur Latino *in*. Quamobrem saepius altera alterius vim induit apud posteriores potissimum (cf. Wi. § 50), donec *εἰς* utriusque munera explere coepit apud recentiores Graecos; cf. Mu. p. 380.

κατά cum genetivo nominis significat terram, per quam effusum aliquid est; cf. *τὰ φρούρια πάντα καταλιπεῖν τὰ κείμενα κατὰ τῆς τῶν Μεσσηνίων χώρας* 1, 15, 3 et *ἐσκεδασμένους κατὰ τῆς χώρας* 3, 17, 10; 3, 19, 7; 76, 10; 102, 1, quod neque prorsus alienum veteribus inde ab Homero est (vd. Od. 9, 330 *κατὰ σπείους κέχυτο*) [1]) et perbene declarari potest ex praepositionis genuina notione; cf. 4, 73, 4 *τὰς προνομὰς ἐπαφῆκε κατὰ τῆς χώρας*; Wi. p. 341. Deinde cum Attici dicant *κακὰ λέγειν κατά τινος* etc., Polybius habet *εἶναι κατά τινος* 10, 8, 5 obesse alicui. At non semper inest infesti notio, velut 2, 38, 2 *πῶς ἐπεκράτησε τὸ τῶν Ἀχαιῶν ὄνομα κατὰ πάντων Πελοποννησίων*.

διά cum genetivo de loco usurpatum significare idem

---

1) Idcirco non imitatus poetam est Polybius, quod videtur Luettgeo p. 5.

atque *in* vel potius secundum, iuxta, praeter dicit Sch. (lex. 129) et hunc secutus L. (p. 15). Hanc vim inesse in praepositione *διά* et originem ipsius particulae et omnium scriptorum usum considerans equidem negaverim. Diversi enim sunt loci, velut Thuc. 1, 63 *παρῆλθε παρὰ τὴν χηλὴν διὰ θαλάσσης*. Sunt igitur tres potissimum loci, qui in disceptationem veniunt: 2, 68, 8 *εἰς τοῦτο δυσχρηστίας ἦλθον ὥστε δι᾿ αὐτῆς τῆς τοῦ λόφου κορυφῆς διαμάχεσθαι πρὸς τοὺς βιαζομένους*. Hu. proposuit *ὥστ᾿ ἐπ᾿*. At non prorsus evanuit illius praepositionis primitiva notio: per cacumen enim montis vel si mavis effusi per iugum altissimum dimicaverunt, ex quo factum est, ut repulsi simul deicerentur, quod illustratur sequentibus verbis (§ 9). Alter autem locus 2, 72, 9 *τὰ θηρία μερίσας πρὸ τῶν κεράτων δι᾿ ἀμφοτέρων προεβάλλετο* (Hu. ex C *προεβάλετο*) haud scio an optime declaretur alio loco (15, 14, 4), ubi legitur *τοὺς δὲ πρίγκιπας καὶ τριαρίους πυκνώσας ἐφ᾿ ἑκάτερον τὸ κέρας προάγειν παρήγγειλε διὰ τῶν νεκρῶν*; itaque sic explicandus erit: elephantos bipartito ante cornua per utrumque producebat. Tertio denique loco 3, 77, 1 *προῆγε διὰ Τυρρηνίας καὶ κατεστρατοπέδευσε διὰ τῆς τῶν Ἀρρητίνων πόλεως*, quamquam defenditur a Reiskio et tenetur a Dindorfio, malim eicere *διά* faciens cum Hultschio, qui ex antecedenti *διά* prave irrepsisse praepositionem putat.

Quod *διά* cum genetivo coniunctum proxime accedit ad eam vim, quae propria est *διά* coniuncti cum accusativo (= propter), nihil offensionis habet; cf. 8, 4, 1 *δι᾿ ὧν ὑπολαμβάνω* cum Dem. 6, 6.[1]) (Kr. 68, 23). Denique ad 5, 24, 5: *ἐν ἀσφαλεῖ στρατοπεδεύειν διὰ τὴν παράθεσιν τῆς πόλεως*, quod Sch. interpretatur ‚quod attinet ad propinquitatem urbis‘ vel ‚licet in proximo sit urbs‘, conferri debet illa formula *εἰ μὴ διά*.

ὑπέρ et *περί* cum genetivo promiscue usurpantur eodem sensu ac *de* Latinum, quod notum ex Demosthene (Rehd. ind. ad Dem. s. v. *ὑπέρ*), velut 1, 1, 4; 13, 7: *ἱστορεῖν ὑπὲρ αὐτῶν*. Variat igitur 1, 2, 2: *οὐ μόνον ὑπὲρ τῆς ἀρχῆς ἀλλὰ καὶ περὶ σφῶν ἐκινδύνευσεν*. At non deest *ὑπέρ* = pro, ve-

---

1) Rursus *διά* c. accus. non multum diversum a *διά* c. gen.; cf. Isocr. Pan. 122.

lut 3, 77, 4. Deinde quod 3, 79, 8 dicitur *κατεφθείροντο ὑπὲρ τοὺς ἄλλους οἱ Κελτοί*, id non tam abhorret ab ipsa illius particulae natura quam a solito usu ceterorum, qui semper dicunt *διαφερόντως*. Promiscue autem usurpatur *περί* cum genetivo et cum accusativo eiusmodi locis: 1, 54, 5 *τὸ περὶ τούτου γεγονός*, et 1, 22, 1: *τὸ γεγονὸς σύμπτωμα περὶ τὸν Γάϊον*.

Formula *οἱ περί τινα* non solum virum aliquem eiusque comitatum sed etiam ipsum virum significat, cf. 4, 57, 4 *πρὸς τοὺς περὶ Δωρίμαχον*, 5, 1, 7, ex quo loco elucet, quantopere impediatur talibus structuris aequum flumen orationis (Kr. 50, 5, 6).

παρά cum genetivo apud passiva verba usurpatum, sicut 3, 69, 1: *τοῦ πεπιστευμένου παρὰ Ῥωμαίων, ἀνδρὸς Βρεντεσίνου*, nihil offensionis habet, cf. Kr. 52, 5, 11. Quamquam saepius *παρά* cum dativo invenitur apud verba passiva; 3, 9, 21 *ἡ ἀλογία δύναται θεωρεῖσθαι παρὰ τοῖς ἐντυγχάνουσι* (Kr. 68, 35); et 2, 30, 5 proxime accedere videtur ad eam vim, quae inest in *ὑπό* cum gen. coniuncto: *τὸ τῶν Γαισατῶν φρόνημα παρὰ τοῖς ἀκοντισταῖς τούτῳ τῷ τρόπῳ κατελύθη*, attamen optime interpretaberis locum ‚apud velites'. *παρά* cum accusativo apud verba manendi et id genus alia ex Latinorum sermone irrepsisse videtur Luettgeo (p. 14) ignoranti priorum usum (cf. Kr. 68, 36, 1); 3, 11, 5; 3, 26, 1: *τηρουμένων [τῶν] συνθηκῶν ἔτι νῦν παρὰ τὸν Δία τὸν καπετώλιον*; 4, 33, 2 etc. Quamobrem 6, 33, 7 *παρὰ τοὺς ἵππους ποιοῦνται τὴν φυλακὴν* coniectura Schweighaeuseri *περὶ* opus non est. [1]) *παρά* c. accus. = *διά* c. accus. significans ‚propter' vel ‚secundum' notum est ex Demosthene (4, 11; 9, 2); ex Polybio cf. 1, 32, 4 *παρὰ τί*; 3, 16, 6.

ἐπί cum dativo tempus significat; 3, 51, 12 *εἰς τὸ μέλλον ἔσχε καὶ σίτου καὶ θρεμμάτων ἐπὶ δυεῖν καὶ τρισὶν ἡμέραις εὐπορίαν* in biduum triduumve; idemque 3, 52, 8 *ἐπὶ δύ' ἡμέραις*, at 4, 70, 2 opt. codd. *ἐπὶ δύ' ἡμέρας*. Idem prioribus quoque locis proposuit Sch., accepit Di., et vero

---

1) 3, 116, 6 pro eo quod editur *οἱ περὶ τὸν Ἀσδρούβαν ἀποκτείναντες τοὺς περὶ τὸν ποταμόν* emendandum videtur *παρὰ τὸν ποτ.* coll. 3, 115, 4 *τοὺς δὲ λοιποὺς ἤλαυνον παρὰ τὸν ποταμὸν φονεύοντες κτλ.*, cum praesertim unde orta sit corruptela appareat.

concedendum est suo loco esse accusativum. Nam quem locum attulit Sch. ex Plutarcho (Pericl. c. 28) *ἐφ' ἡμέραις δέκα,* is nunc correctus per Sintenim *ἡμέρας* habet. Hu. quoque accusativum maluit 1, 19, 7: *οὐχ ἧττον ἐπὶ τοῦτο φερομένων καὶ τῶν Ῥωμαίων* (libri *ἐπὶ τούτῳ* Ca *τοῦτο*, cf. Sch. ad h. l.); 3, 19, 4 *ὥρμησαν, κρίναντες ἐκ παρατάξεως διακινδυνεύειν πρὸς τοὺς ἐπὶ τὸν λόφον* haud desiderat Dindorfii coniecturam scribentis *ἐπὶ τοῦ λόφου*. Est enim nihil aliud nisi quod supra attigimus, commutari casum nominis praecedente verbo movendi (Kr. 50, 8, 14). At 3, 101, 8: *συνεῖχε τὸ πλεῖστον μέρος τῆς δυνάμεως ἐφ' ἑαυτόν, συνέχειν ἐφ' ἑαυτόν* eadem ratione dicitur qua alias *μένειν παρά τινα;* vid. etiam 3, 92, 11.

De *εἶναι* et *γίνεσθαι* πρός τι et *τινι* optime exposuit Hu. quaest. p. 20, qui et hoc et illud concedit Polybio; cf. 3, 82, 11 *ἐγίνετο πρὸς τὸ διακινδυνεύειν* coll. 3, 70, 12 *πρὸς τούτοις ἦν* (Sch. ad 1, 26, 3). Hos potius sequamur quam Dindorfium, qui praef. p. 50 sq. ubique dativum esse restituendum contendit. Omnino non multum interest inter dativum et accusativum; 5, 54, 7 *οἱ πρὸς τούτοις τεταγμένοι;* 9, 29, 10. Formula autem iudiciaria est *ἀπαγαγεῖν πρὸς ἀναδοχὴν* ad satisfaciundum sponsioni. Denique *συμβαίνειν πρός τινα* dicitur 5, 38, 10 et 10, 20, 4, quibus locis Hertl. (l. c.) temere corrigendum proponit *περί*.

ὑπό cum dativo usurpatum apud verba passiva notum ex veteribus; ad 6, 7, 2 *τραφέντας ὑπὸ τοιούτοις* cf. ex Plat. Rep. 3, 4: *Ἀχιλλεὺς ὑπὸ τῷ σοφωτάτῳ Χείρωνι τεθραμμένος,* quod non tam a Chirone est quam sub Chirone sive in Chironis cura. At habet accusativum Polybius 10, 22 (25) 1: *τραφεὶς καὶ παιδευθεὶς ὑπὸ Κλέανδρον,* quod depravatum fortasse alicui videtur. At sic intellegi debet etiam 5, 26, 4: *τὸν βασιλέα νέον ἔτι καὶ τὸ πλεῖον ὑφ' αὑτὸν ὄντα;* 5, 65, 2; *θεᾶσθαι ὑπ' αὐγάς* 5, 35, 10 idque genus alia. Adnotandum quoque *ὑπὸ τὸν θυμὸν* 2, 19, 10 saepius, contra 2, 30, 4 *ὑπὸ τοῦ θυμοῦ.*

De pronominibus. Articulus saepe demonstrativi vim servat. Quae cum appareat in formis *ὁ δὲ, οἱ δὲ,* quibus liberius utitur Polybius, quamvis *ὁ μὲν* non antecedat (cf. 2, 58, 5, Kuehn. p. 507), tum maxime, ubi ante relativum ponitur articulus; cf. 1, 51, 1, quae res satis nota est

ex ipso Platone; cf. Kr. 50, 1, 20. Variantur autem formae *ὅς* et *ὁ*, velut 3, 76, 4 *ἃς μὲν προσήγετο, τὰς δὲ κατεστρέφετο τῶν πόλεων*; 4, 44, 2; cf. Kuehn. p. 780; Dem. 18, 71. Quem autem vere articulum appellamus, quo certus aliquis vel certum aliquid significatur, is apud Polybium saepe omittitur cum varias ob causas, tum maxime hiatus ratione habita, cf. 4, 30, 3 *τῇ τῶν Αἰτωλῶν χώρᾳ*, at § 4 *διὰ τὴν πρὸς Αἰτωλοὺς ἀπέχθειαν*; et magis insolitum 5, 44, 9: *περιέχεται μὲν Ἐλυμαίοις καὶ τοῖς Ἀνιαράκαις*, cf. 3, 118, 10. Desideratur deinde multis locis, quos corrigere voluerunt viri docti, articulus, velut 3, 84, 10 *προδήλου γενομένης ἀπωλείας*, contra 3, 89, 8 *προδήλου τῆς ἐλαττώσεως ὑπαρχούσης*. Hertl. ob eam rem illic *τῆς* esse inserendum putat, at hic propter ipsum hiatum articulum adhibere debuit scriptor, quem illic verborum collocatione effugit; cf. 2, 53, 3; 4, 17, 4; 58, 8; 87, 7; 5, 58, 3; 8, 14, 7. Paullum diversi ab his locis alii sunt: 4, 30, 2 *τὸν ἀπὸ χώρας πόλεμον*, contra 4, 26, 2 *τὸν ἀπὸ τῆς χώρας πόλεμον*; 1, 38, 7 *διὰ πορθμοῦ πλεύσαντες*. *βασιλεύς* sine *ὁ* dicitur Antiochus rex 5, 54, 11 (Kr. 50, 2, 15; Kuehn. p. 521).

At non raro invenis articulum apud Polybium contra Atticorum usum ac consuetudinem; 4, 29, 7 *ὑποκαθημένης ἐκ τούτων αὐτῷ τῆς ὀργῆς* (propter hiatum, ut videtur); 4, 49, 4; 5, 11, 1; 76, 3. Et *τὴν εἰρήνην, τὴν ἡσυχίαν ἄγειν κτέ.* dicit Polybius 4, 16, 3; 3, 27, 3; 70, 4, raro *ἡσυχίαν ἄγειν* 4, 3, 3. Quibus exemplis adnumeramus *τῆς βίας προσεδεήθησαν* 5, 77, 3; cf. 1, 48, 2; 5, 84, 3. Deinde ne offendas 3, 88, 1 *τοὺς ἵππους ἐκλούων τοῖς παλαιοῖς οἴνοις* cf. 3, 46, 3; 88, 1. Ad *παραπλήσιος* denique insuper additur articulus 5, 6, 3: *διὰ τὰς παραπλησίους αἰτίας*, cf. 1, 37, 8; 3, 15, 12.

Neutrum *τό* vel *τά* coniunctum cum genetivo saepissime adhibetur pro substantivo solo, quo dicendi genere quantum impediatur oratio, elucet consideranti locos, velut 3, 5, 7 *τὰ μὲν οὖν τῆς ἐπιβολῆς ἡμῶν τοιαῦτα, προσδεῖ δὲ τὰ τῆς τύχης, ἵνα συνδράμῃ τὰ τοῦ βίου πρὸς τὸ τὴν πρόθεσιν ἐπὶ τέλος ἀναγαγεῖν*. Neque etiam infinitivi cum articulo coniuncti apud quemquam scriptorem plura invenies exempla quam apud Polybium, cuius oratio haud scio an ob hanc causam tenuis interdum fiat et fluctuans et dissoluta, cum fere desint membra articuli nervi, cf. 3, 107, 2; 3, 31, 3. Fere cum omnibus praepositionibus coniunctum habet articu-

lum 1, 1, 1; 39, 8; 2, 50, 10; 3, 46, 3; 49, 9; 57, 1; 78, 5; 7, 12, 4. Cf. Rehd. ad Dem. 9, 49. Relinquo autem in medio materiam sane difficiliorem, quam quae obiter possit diiudicari, repetaturne articulus ad appositionem et ad compluria substantiva inter se coniuncta, cf. Hu. quaest I p. 16 sqq. Ne in vocabulo *πᾶς* quidem cum articulo coniungendo servatur solita lex; cf. 1, 23, 2 *ἐπιπλεῖ στόλῳ παντί* (Di. *τῷ στόλῳ παντί*); 2, 1, 2 (cf. Kuehn. p. 546 adnot. 8; Kr. 50, 11, 15). Saepius tamen *παντὶ τῷ στόλῳ*, velut 1, 39, 1; 56, 3; 24, 4 et 10.

Pronomen reflexivum tertiae personae haud raro ad primam secundamve refertur; 3, 1, 1: *ἀρχὰς ὑποτιθέμεθα τῆς αὑτῶν πραγματείας*; 1, 3, 5; 3, 109, 9: *ἑαυτοὺς παραστήσεσθε*, cf. Kr. 51, 2, 15; Wi. p. 136; Mu. p. 208 et 320. Est autem pervulgatum hoc apud scriptores posteriorum temporum, velut Marcum Antoninum alios.

Σφῶν, σφίσι etc. formae et pro *αὐτῶν* etc. sunt (2, 58, 5) et pro *αὑτῶν* etc. (3, 3, 5; cf. 3, 3, 9) interdum addito *αὐτῶν* (3, 29, 7) et ponuntur pro formis *ἀλλήλων* etc. (2, 58, 4); cf. Kr. 51, 2, 16. *σφέτερος* autem refertur et ad singularem numerum tertiae personae (cf. 3, 49, 13; Kr. 58, 4, 3) et ad primam personam (11, 4, 3).

Pronomen *αὐτός* ubi idem est atque ipse (cf. Kr. 50, 11, 15) contra veterum usum positum post articulum est 3, 5, 9; saepius vero, ubi pro formis *eius* etc. adhibetur, invenis insolitam collocationem verborum: 4, 33, 9 *οἱ κοινωνοῦντες Ἀρκάδων τῆς αὐτῶν συμμαχίας*; 3, 13, 5; 47, 3; 5, 59, 7; cf. Kr. 47, 9, 12; deinde Hu. p. 1398 edit. ad 5, 5, 10; tertius denique usus pronominis *αὐτός*, ubi non modo idem quod ipse, sed etiam quod solus valet (Kr. 51, 6, 7), non alienus a Polybio; cf. 3, 23, 6; 29, 4; 32, 8 et 9; at tum quoque omittitur articulus, velut 4, 3, 3.

Pronomen relativum sine causa amplificari, velut *ὅστις* 6, 41, 1; *ὃς δή* 3, 40, 3; *ὅσπερ* saepissime hiatus evitandi causa (Kr. 51, 8, 3); deinde *ὁποῖος* non addita *οὖν* particula aut *δή* vim indefiniti pronominis habere 4, 21, 6; 65, 3; 5, 21, 7 (Kr. 51, 15, 1); denique relativum pronomen interrogativi munus explere, velut 7, 7, 7 (Kr. 51, 17, 3; Wi. p. 150 sq.), haec omnia singillatim docere vel illustrare exemplis longius est quam instituta ratio postulat.